...nez
...nas

... Mart. Stanisl. Manu...

Thomistica.

MANVS THOMISTICA

SEV

ORATIO PANEGYRICA IN LAUDEM D. THOMÆ AQVINATIS DOCTORIS ANGELICI

In Peraugusta SANCTI DOMINICI Basilica Plocensi,

Apud Patres Ordinis Prædicatorum

A

M. MARTINO STANISLAO FRYDRYCHOWICZ

ERECTA, DEMONSTRATA, DICTA

Anno Domini 1670. Die 7. Martij.

CRACOVIÆ,
Apud ALBERTVM GORECKI, S. R. M. & Almæ VNIVERSITATIS Cracouiensis Typ.

SINE TVA GRATIA SVMVS IN MISERIA,

O MARIA

MAGNI REGIS FILIA



MAGNI REGIS MATER

Tu nunc STVDANÆ clarescis omnibus dulcis & pia.

DIu hæsitanti mihi cuinam Patrono hanc Manum D. THOMÆ Aquinatis dicarẽ, consecrarem, & offerem, Tandẽ placuit vt illam non cuipiam alteri, nisi TIBI quæ es Mater, & Virgo, nisi Tibi quæ es Manus Altissimi consignarem. Habet enim hæc manus mea à Tua directione protectionem, habet à Tua informatione consolationem: habet protectionem, quia per Te erecta: habet consolationem: quia per Te in præsentia Filij Tui dicta. Vnde si aliquorũ mens, scriptaq; manibus Principum offerantur, ego qui minimus & potẽ nullius sum inter Oratores Tibi tanquam Supremæ Dominæ, ac Reginæ, meæ hoc quãtulumcunq; opus meũ præsento, & in manibus Tuis Sacratissimis collocare volo. An non manus Domini fabricauit Te in Dominam, ac Reginam Nostram? manus Domini fecerũt me, vt adorem & glorificẽ Te cũ Filio Tuo in seculum. An non manus Dñi elegit & praelegit Te ab æterno, vt esses Mater Tanti DEI? manus Domini descripserunt me in manibus meis, vt fiam seruus. An non manus Domini Te benedictam in terris & exaltatam posuit in cælis supra omnes Choros Angelorum? manus Domini plasmauit me, vt sim particeps Tuæ benedictionis, particeps felicitatis æternæ. Quam dum præstolor ad Ædes Studaneñ. manus meas humillimas in momenta, horas, & dies ad Te ô Clementissima Domina tendo, vt sim semper Tuus, Tuiq; Filij dulcissimi in æternum.

Humillimus Seruus
MARTINVS FRIDRICHOWICZ
Pœnitentiarius Studanensis.

MANVS THOMISTICA
SEV
Oratio in laudem Diui Thomæ Aquinatis Doctoris Angelici.

Eia amica manus, eia fecundum pectus, excute si quid interioris penetralis tui inclusum tenes conclaui quo linguam in verba, famam, laudes, encomia SS. THOMÆ Aquinatis mãcipatam desiderio dicendi, iam ferè emortuam animare possis. Equidem non bellicum strepit, sed pacatum, & nomen ipsum quando Angelicus Doctor conductum, dicam verius locatum paci

paci vniuersæ, vel in ipsis cunabulis adhibet suum honorem. Itaq; amica manus, porrige manũ, & da aliquando verba, da famam, da laudes, encomia Diuo THOMÆ Aquinati, at quænam verba reportabit? saltim vnicum illud nunquam intermoriturum tanquam Angelus, Angelicum suscipiat Aue: Aue etenim hoc vbi adhuc infans demissum sibi cælitùs in schedula præ suis compræssis tenuisset manibus, quasi quoddam dulcoratum libamen ori apposuit, totumq; sanè consumpsit, vt in præsentiarum iam potuisset dicere: si benè sum pastus, & cur non sum, tanquam alter Angelus in terris castus. Famam autẽ laudes, encomia, quæ à nobis reportabit? en multi eruditione & doctrina conspicui viri, Sanctum THOMAM Aquinatem miris encomijs, & titulis, vt celebrant, ita celebrare non desistunt, quos inter & ipse laudatissimus, atq; doctissimus alter Ioannes Picus: Est (inquit) S. THOMAS nostræ Theologiæ splendor, alter verò Ioannes Arboreus ipse dignissimus Cedro, dignissimam attulit sententiam: Sanctissimus THOMAS est (inquit) ingeniosissimus, eruditissimus, cui in Palæstra, & exercitatione Scholastica nemo proximus fuerit: Franciscus autem Vargas ipse omni laude cumulatissimus hanc laudabilem reliquit opinionem: Sanctiss. THOMAS adeò est diligens veritatis explorator, vt nihil abditum, nihil remotum, nihil obscurũ esse permiserat. Et quid frustra numerabo summos Pontifices, quos inter cæteros Ioanes 22. summam ipsi tribuit laudem: Tot miracula Diuus THOMAS perpetrauit, quot articulos de Diuinis dogmatibus scripsit, iam verò Paulus 5. omnium grauissimus his titulis & elogijs coronidem faciens, splendidissimus inquit Fidei Catholicæ athleta, cuius scriptorum clypeo militans

tans Ecclesia Hæreticorum tela felicissime elidit. Tandem vniuersus Orbis Catholicus, gaudens tam sapientissimo, tam doctissimo, tam solidissimo & veracissimo Patrono & Doctore eximio ipso stupente cælo admirabundus, immo venerabundus ei acclamat: Sanctissimus THOMAS Doctor est Angelicus. Age ergo & tu amica manꝰ tibi adsis, nec te deseras, quin auditis his admirandis, & stupendis elogijs, & titulis obstupescas: habet sua cuiusq; manus, quod suum possit huic Sanctissimo THOMÆ Aquinati offerre munus. Oratorum præsertim Pontificiorum Romæ talis est consuetudo, vt sermonem facientes manum sub pallio contineant: adest quippe & nobis præsentissimus Summus Pontifex IESVS Christus, quoniam verò proclamant Theologi aliud orare esse, aliud perorare, ideo de manu Sãctissimi THOMÆ Aquinatis peroratûrus, si & Sãctissimũ Doctorem, Manum DEI appellauero, manum meam sub vestẽ minimè seruabo, immo potiùs nunc expressam non compressã, ô IESV Dulcissime, Tuo tamen cum iuuamine ô Virgo dulcissima, tuo cum patrocinio ad laudem tanti Viri accomodabo. Quam si in hoc nobilissimo vestro consessu, & frequentissimo confluxu deuiare aliquantisper â proposito senseritis, oro, obtestorq; vos AA. vt eam vestris manibus humanitatis & beneuolentiæ plenis subleuetis. Sed forsan Nobilissimi AA. antequam manum Sanctissimi attrectauero, dicet aliquis? nonne caput potior & præstantior est corporis pars, frons facies, oculi ipsum deniq; cor, quam manus, & tamen Manum Sanctissimi THOMÆ Aquinatis ad celebrandum assumpsisti? Doctor gentium, Ecclesiæ praclarissimum fulcimentum & ornamentum, vel ipse respondeat nobis sicut quondam suis Ephesianis. Pro inuicem solicita sunt membra, & si quid patitur vnum mem-

brum compatiuntur omnia membra, si verò gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra: proinde si hodierna die cōgaudet, lætatur, & tripudiat manus Sāctissimi THOMÆ Aquin. credibile est, veritatiq; consonum, quòd & caput, frons facies, oculi, cor, immo totum corpus gloriosissimum, eam sibi gloriam & honorem nunc attribuit, quem sola à nobis perceperit Manus. Eia igitur amica manus iam placet, immo necessarium est, vt hanc Manum Sanctissimi THOMÆ Aquinatis ad munus tuum arripias, & nobis bona prominentia quàm citissimè edisseras? Agnoscimus sanè quod hæc Manus Sanctiss. non alia quàm DEI manus, & munus est? ergo quid Diuinum in illa non modo legere; sed intelligere poterimus. Ingeniosissimus omnium Artifex DEVS, quando totius corporis humani ideam fabricare instituit, vbi manum fabricatam reliquit, tunc quinque eam potissimum digitis exornatam conspicimus, ita vt alius pollex qui polleat, alius index, qui res indicet, alius medius, qui medium teneat locum; alius annularis, qui annulum deferat; alius auricularis, qui aures ad audiendum excitet, vocetur, dicatur, nuncupetur. Lustremus itaq; & nos & tractemus Manum Sanctissimi THOMÆ Aquin. & facile videbimus, quòd DEI bonitas, & clementia ad Manum Sanctissimi apposuerit hosce quinque digitos, quos alio nomine si appellare liceat, nos virtutes excellētissimas appellabimus, his etenim Sanctissimus THOMAS Aquin. in terris viuēs clarere, & illuminare mundum vniuersum visus est. Proinde si iam ordine primum, qui est pollex, vel hallux videre intenderimus, hic sanè Iustitia est virtus omnium præstantissima, quam si quis cæcutiens vel parum ad manum Sanctissimi non aduerterit, tunc ad pectus Sanctissimi suos reflectat oculos, & ibi eandem corus-

scan-

ſcantem ſuis radijs inueniet? Ariſtoteles omnium Philoſophorum Princeps, vbi Iuſtitiam in ſuis Ethicorum Libris benè examinauerit, & trutinauerit, iu hæc verba prorumpit: Iuſtitia est præclariſsima virtutum, adeò vt nec Lucifer, nec Heſperus eſt ita clarus: an igitur ſpiritu Prophætico Ariſtoteles non eſt contemplatus Iuſtitiam noſtri temporis in Sanctiſsimo THOMA Aquin. ſapientiſsimus vel ipſe Polimades iudicet. En ipſe iuſtitiam noſtram claritate cum Lucifero, aut Heſpero certare minimè permittit: ergo cum ſidere illo clariſsimo, & ſplendidiſsimo (ſolem hîc intelligo) quod pectus Sanctiſsimi illuminat certare liberimè permittat. Habet quippe hoc Sol ille ſplēdidiſsimus apud rerum naturalium indagatores laudis, vt lucē ſuam toti mundo communicet: habet hoc vt rerum naturas commutet, vt ex mollibus dura, ex duris mollia efficiat: habet hoc vt ſuam lucem, quamuis maximis tenebris, & nubibus obuolutam iterum repetat ac vindicet. Iuſtitiam Sanctiſsimi THOMÆ Aquin. ſi quis diligenter conſiderauerit, omnia hæc tanquam in Sole clariùs perſpiciet. Si etenim Sol lucem ſuam toti mundo communicat: equidem Sanctiſsimus noſter Iuſtitiam ſuam toti mundo exhibuit, cum omnium linguis atq; oris iuſtiſſime Iuſtus Doctor, Iuſtus Patronus vniuerſæ Eccleſiæ, Iuſtus Incola cæli audiatur. Ariſtides Ciuis Athenienſium, ob excellentem hanc virtutem, & egregias animi dotes, vulgò inter ſuos Iuſti cognomen ſortitus eſt, profuitne ipſi hæc ſua Iuſtitia? Viguerat eo tēpore Athenis lex, quâ ſingulis Annis populo poteſtas fiebat, vt vnū Ciuē quemcunque ſuis votis delegiſsent, in exilium pellere poſsent, dum ergo ſemel ea de re feruntur ſuffragia, infimæ conditionis quidam, cui de nomine tantùm Ariſtides notus erat, ſuffragium laturus, cùm ſcribere neſciret, is

forte

forte fortuna in Ariſtidem incidit, eumq; impenſe rogauit, vt in tabella nomen Ariſtidis ſcriberet, quippe illum, qui in exiliũ mitteretur, dignum putaret: at Ariſtides; Amice, inquit, obſecro te quid inquam mali fecit tibi Ariſtides: nihil vnquam, inquit, ille infimæ ſortis homuncio, tum Ariſtides, Cur igitur illum in exilium eijcis? quia inquit vnanimi conſenſu Iuſtus appellatur. O vocem, & ſuffragium à barbara gente profectũ! quód Ariſtidem eumq; Iuſtum à conſortio, & ſocio Athenienſium eijcis, & ſeparas? an & Iuſtitiam noſtram, Sanctiſsmum, THOMAM Aquin. è contubernio Doctorum, eumq; primarium, quia Angelicum, è numero Sanctorum, quia Incolam cæli eijcies, & mulctabis infauſto hoc exilio? infauſtus tu ipſe, & inſanus, vt dum iuſtitiam noſtram exulare intendis, quæ nihil vnquam mali fecit cum iuſtiſsimo IESV ipſe exul iuſtiſsimus & abiectiſsimus efficiaris. Soli ad hæc ea natura eſt, vt rerum naturas commutet, vt ex mollibus dura, ex duris mollia efficiat: Iuſtitiæ noſtræ Aquinaticæ haud deeſt tanta qualitas? quis enim nunc mollibus, & delicatis durum, & graue onus Religionis? quis duris & obduratis, molle & ſuaue iugum Chriſti meliꝰ & faciliꝰ expõtat? ſi non Iuſtitia noſtra, molles certè, & delicati fuêre ipſiꝰ Maer, Soror, & Fratres, qui molliebãtur, vt ſanctam Religionem deſereret, attamen Iuſtitia noſtra effecit hoc vt ſoror molliſsima, & delicatiſsima ſuſpiceret hoc graue & durum onus Religionis: duri & omni ſaxo duriores fuêre tot, vtriuſq; ſexûs in ſolo Aquinatico Ciues: attamen Iuſtitia noſtra effecit hoc, vt exinde ipſius exemplo prouocati innumerabiles amplectantur molle & ſuaue iugum Chriſti, loquantur id pro me, tot in Orbe Chriſtiano Religioſorum erecta cænobia: loquantur tot Religioſorum fundata Clauſtra, ego plus quam Pitagoras

thagoras ſilentium ſeruabo. Conceditur ad extremum Soli, vt ſuam lucem nubibus, vel tenebris obductam, iterum repetat, ac vindicet. Teterrimæ ſunt nubes Arianorum, Caluinorum, Lutheranorum, quæ noſtram Iuſtitiam ſæpius ac ſæpiꝰ obfuſcare ſoleant: teterrima eſt nubes illa quorundam, an in Eccleſia, an extra Eccleſiam degentium, teterrimo colore ſubducta pietas, & tamen vbi iuſtitia noſtra radios, non tàm ingenij, quàm nominis ſui explicauerit, has teterrimas nubes vltra Garamantas & Indos propellit, & non modò in pluuiam, verùmetiam in fauillam, & pulueres minutiſsimos ſoluit. Sed ne ad aſpectum huius digiti ad inſtar Solis fulgentiſsimi ipſe quodam modo cæcutiens videar. Eia amica manus, quid poſt Aquinaticam ipſo Sole clariorem iuſtitiam ruminandum & trutinandum offers. Alter horum digitus index eſt, en indicat nobis & demonſtrat Sanctiſsimi Thomæ Aquin. prudentiam. Hominem prudentem præſertim ſermo prudens & moderatus oſtendit, vel ipſa atteſtante ſcripturâ ſacrâ quæ dicit. Qui moderatur ſermões ſuos, is doctus & prudens eſt, ac prætioſi ſpiritûs, & alio in loco verba prudentûm ſtaterâ ponderabuntur. Vnde Deus ipſe O. Max. qui eſt omnium prudentiſsimus, an non hunc modū prudentiæ verbo ſimul & exemplo docuit, conſiderate? Ipſe etenim per æterna ſæcula in ſua ſapientia contemplanda & fruenda quieuit, & tarde puta initio mundi loqui cæpit, vnicoq; verbo fiat, cælum, terram, & omnia quæ in eis ſunt creauit. Tandem vbi iam per quinq; Millia annorum, vel vltra hic ſtetit mūdus, itidem pauciſsima locutus eſt, quæ in Biblijs continentur. Inſuper vbi verbum Incarnatum in terris apparuit: attamen eundem prudentiæ modum ſeruauit, dum hoc verbum, verbum infans & elingue factum eſt: Huiꝰ virtutis admirandæ S. Tho-

MAS Aquin. an non æmulator acerimus eſt, videte AA. ſtatera ſtatera ponderauit verba huius prudentiæ noſtræ Magiſter excellentiſsimus & doctiſsimus Albertus Magnus cùm in quadã ardua & difficili diſputatione plurimis literatiſsimis Viris decorata, in decorem & gloriam tanti Viri dixiſset? Thomas tu mihi non tam reſpondentis quàm Doctoris locum obtinere videris: conuerſuſq́; ad alios dixit? vos hunc Thomam bouem mutum vocatis, ſed ille certè tales quandoq; mugitus docendo dicendoq́; dabit, vt totus ipſum poſsit audire Orbis. Et hæcne eſt ſola prudentia Aquinatica? Romanus Orator in his tribꝰ potiſsimum prudentiam conſiſtere docuit: in præſentium ordinatione, in præteritorum recordatione, in futurorũ præuiſione: Tria hæc prudentiæ munera S. noſter THOMAS Aquin. perfectiſsimè executus eſt: nam vbi eò mentem & cogitationem ſuam direxit, vt terrena deſpiceret, cæleſtia amaret, & ad ea intenſiſsimè aſpiraret, an non hæc præſens prudentia eſt? vbi tãdem Religionem Sanctiſsimam ingreſsus, mala mundi caueret, & bona eligeret, an non hæc præterita prudentia eſt? vbi ad extremum hæc quæ elegit bona (vt vltimum finem qui eſt beatitudo æterna aſſequeretur) ipſo facto faceret, doceret, oſtẽderet, an non hæc futura prudẽtia eſt? Quid ergo ampliꝰ reſtat, vt prudentiam prudentiſsimi THOMÆ Aq. audiamus? Iuſtinianꝰ ſanctiſsimus imperator ſanctè contemplans prudentiã ſic eam definiuit. Prudentia eſt Diuinarum humanarumq́; rerum notitia. O quæ noſtra temporum felicitas eſt, vt hanc vtramq; notitiam perfectiſsimè & exactiſsimè in noſtra prudentia videamus? quidquid enim in reconditiſsimis Prophætarum prædictionibus latet: quidquid vetus, aut nouum Teſtamentum continet, hoc totum Sanctiſsimo noſtro obuium & apertũ eſt, quid

quid

quid verò in penetralibus naturæ arcanis latuit, & quid quid antiqui & moderni Philoſophi cognouerunt, aut ſe cognouiſſe fatentur, hoc totum prudentiſsimꝰ noſter à cedro vſq; ad hyſſopũ meliùs cognouit, meliùs ſciuit, meliùs intellexit. Quiſquis igitur ſub tam inſigni Magiſtro, & Doctore prudens euadere deſiderat, vel optimus eius diſcipulus cum ſponſâ humiliter dicat? Trahe me curremus in odorem vnguentorum tuorum. Trahe nos ô Doctor prudẽtiſsime, ô Magiſter doctiſsime, trahe nos, inquam, ignorantes, vt nos reddas ſcientes, curremus in fragrantiam virtutum tuarum, & præſertim ſolidiſsimæ prudentiæ tuæ. Eia amica manus iam nobis iuſtitiam prudentiam Sanctiſsimi THOMÆ Aquin. indicâſti, & quæ interim media vox, mediam ipſius virtutem indicabit? Ad noſtram propriam manum etiam medius ille dicitur digitus, qui medium inter duo extrema occupet locum: ad manum S. THOMÆ Aquin. media virtus Temperantia eſt, eò quòd à priori, & à poſteriori inter duas reliquas virtutes medium teneat locum: quis poteſt numerare ſtellas cæli, aut arenã maris? quis poteſt ex aduerſo nũerare pediſequas, ſeu ancillas Tẽperãtiæ? fæcunda eſt & facunda bonarum actionum Mater, ita vt hæc ſola virtus manſuetudinẽ, liberalitatem, grauitatem, triſtitiam, ſeueritatem, verecundiã, vrbanitatem, amicitiam, beneuolentiam, concordiam, amorem, pacem, continentiam, abſtinentiam, caſtitatem, bonitatem, puritatem, innocentiã, & plures alias ſuo gremio foueat, contineat, amplectatur. Vnde ſi omnes, & ſingulas ad Manum D. THOMÆ Aquin. luſtrare expediret, & me ipſum priùs vox, & auditorem meum dubiò procul tempus deficeret. Ad normã ergo & formam digiti, qui tribus tantum oſsibus conſtat, & nos Sãctiſsimi THOMÆ Aquin. Temperantiam videamus: ita tamẽ

vt aliam abstinentiam, aliam sobrietatem, aliam continentiam, in ipso sentiamus. Aderat quondam aderat mensæ exquisitissimæ apud Ludouicum Galliæ Regem, iam eduliorum, ferculorumq; varietas suos delectabat oculos, & ecce mens Angelica non in patinis pipere & croco instructis, quàm in profundissimis contra Manichæos existens cogitationibus, palma percutiens mensam altissimè & profundissimè dixit: Iam definitum est contra Hæresim Manichæorū, existimansq; se esse in propria Cella, vocauit socium suum, vt scriberet Conclusionem menti suæ, & cogitationi oblatam, cumq; admoneret eum Prior, qui cum eo fuerat, vt attenderet se esse ad mensam Regis, Vir Sanctissimus profunda illa & studiosissima cogitatione remota respondit: ignosce quæso, Domine Rex, putabam me domi versari in Cella nostra, quo audito Rex noluit, vt vlterius cōuiuium ipsum procederet, quin Vir Sanctissimus Conclusionem sibi oblatam, & fortissimè imaginatā priùs dixisset, scripsisset, approbâsset. Quam igitur abstinentiam obseruauerit S. THOMAS Aquin. vel hoc vnicum, & nos præsertim hoc Quadragesimali tempore minùs abstinētes doceat, & admoneat exemplū. Si verò sobrietatem ipsius attentare volueritis: inter tot assiduos & grauissimos labores, inter tot feruidissima & zelosissima colloquia Diuina, inter tot pijssimas & deuotissimas meditationes, & orationes, quibus interdum ad spatium trium dierum, & vltrà mens eleuabatur, fuitne tempus quo vel minima guttula vini reficeret corpusculum suum: parcite quæso mihi, ebrij, quorū vel nasus ipse calices siccos facit, Sāctissimū THOMAM Aquin. ad vltimam vitæ periodū semper addictū fuisse sobrietati ita, vt mēs semper fuerit sana, salua, sancta, in corpore sano, in corpore saluo, in corpore sancto. At continētia ipsius, quæ

poti-

potiùs caſtitas dicēda eſt quæ & quanta fuerit? perpēdite. Admiratus ſum ego, admiratus non ſemel in mentibus ſanctis, egregias & laudabiles virtutes, quibus in hoc ſeculo florebant, vigebant, triumphabant: & vidi fidem Baſilij Magni, ſpem Theophili, charitatem Franciſci, miſericordiam Dominici ipſius Patriarchæ Ordinis Prædicatorum, humilitatem Ignatij, patientiam Benedicti, vidi certè in alijs nobiliſsimas virtutes, quibus Venerandi illi Patres in cælis ſuas reportārūt coronas & laureas. Sed dum iam intueor Manum Sanctiſsimi Noſtri Doctoris, & ecce vidi, & aduerti in ea, niue candidiorem, cygno nitidiorem, ebore ipſo clariorem caſtitatem. Tentauerat hanc, tentauerat expugnare, & ipſe infernalis Draco ſuis præſtigijs, cùm ad decipiendum & capiendum ipſum è Monaſterio Parentes, Fratres, Sorores, ſubornauerit ſubordinauerit. Tentauerat & ipſe fallaciſsimus mundus immundus, cùm ipſi tot honores, tot delicias, tot diuitias Domini ante oculos præpoſuerit. Tentauerat & ipſa mollis, & effeminata caro, vt potè mulier melle mollior, cùm eò audaciæ proceſsit, vt ipſe ſuas manus per ſummam laſciuiam ſuis manibus appoſuerit: at Vir Sanctiſsimꝰ, Angelicæ puritatis memor, ad iuſtiſsimam iram prouocatus, qui nunquam aliquando ſuccenſuiſſe ſcribitur, titionem arripuit, in illamq; attentatæ voluptatis hydram retorſit, atq; è cubiculo ſuo procul fugauit. O factum ſolaribus radijs ſcribendum! parcite ſydera, ignoſcite beatiſsimæ mentes, datæ veniam nobiliſsimi ſpiritus: habitat & intra nos quædā magna vis non Numinis, ſed hominis, cum quo vobis veſtras laudes partiri, ne dicam, cui à vobis primas laudes tribui ſit neceſſe. Si enim veſtra innocentia, nullas contrahit vitiorum ſordes, ſi nullis rationibꝰ ad blandū ſcelus impellitur, veſtræ tribuere debetis felicitati

non virtuti, quod benignitate vestri Conditoris ab omni concretione corruptioneq; mortali seiuncti, causas occasionum procul habeatis, at huiusce gloriæ Sanctissimus Doctor quòd tam horrenda tempestate iactatus, felicissimè ad promontoriũ appulit castitatis, totum hoc quantumcunq; est, quod certè maximum est, totum inquam, inusitatæ eius virtutis infracti pectoris est. Nihil sibi ex ista laude conditio Beatissimi statûs vẽdicat, & decerpit; quinimò ipse Beatissimus Hipponen Antistes Augustinus Fratri Alberto de Brixia apparens in istius societatem sese non offert sed fatetur: THOMAS mihi par est in gloria, sed & virginitatis laureolâ me præcedit per gratiam Christi. Vtinam vtinam AA. quot sunt in Ecclesia DEI Mystæ, tot sint in conseruanda castitate Thomistæ, dubiò procul vel hæc sola, & vnica virtus sufficeret ad obtinendum vltimum beatitudinis finem, sufficeret ad contemplandam in sua essentia Diuinã Maiestatem, quâ nunc Sanctissimus THOMAS in æternum fruitur, delectatur, iucundatur. Sed heus lingua quo vadis? & breuitas quædam temperantia est, age itaq; vt temperans sis, dum temperantiam Sanctissimi THOMÆ Aquin deprædicas. Interim eia amica manus, quid vltra recipiendũ sit, da vel dic, quod promiseras ab initio? Dabo certè, vel dicam illud, quod vel minimo proximus nobis suppeditat, ac porrigit digitus. Annularis est, & nisi ad annulum id est aureum deferendum accomodatus. Mirum profectò est, vt quilibet status, & conditio suum tractet & deferat in suo digito annulum. Monopola aliquis est, & ideo defert, vt mutuam suo Creditori aut etiam Emptori exhibeat fidem. Sponsi aliquis nomine gaudet, & ideò defert, vt mutuum & reciprocum suæ Sponsæ præstet & polliceatur amorem. Doctorali aliquis Laurea fungitur, & ideo defert, vt honoris

nor is sui symbolum, & præmium virtutum suarum insigne recipiat. Sanctissimus noster THOMAS Aquin. vt potè Angelicus Doctor ad Manum sui digiti defertne ita honori, ita virtuti correspondentē suum annulum? ob illibatā suæ mentis pulchritudinem, quâ totus puritas, totus candor, totus nix semper apparuit ab Illibatissima Deipara Virgine MARIA, quis dubitat tanquam Sponsum suum isto annulo non fuisse subaratum; ob præclaram sui ingenij indolem, quâ totus sapientia, totus prudentia, totus intellectus apparuit, quis dubitat à præclarissima, & toto Orbe celeberima Matre Acadēia videlicet Parisien. non fuisse decoratum. Et quid mirum igitur est, si Sanctissimus Doctor duplici ex fonte suum gestauerit annulum. Latet, latet quid Diuînum, quid heroicum, quid magnanimū in nostro Sāctissimi THOMÆ Aq. annulo, & quid illud est? Fortitudo plꝰquā Samsonis fortissimi, fortitudo plùs quam Hectoris alicuius inuictissimi. Sed quæ annuli cum fortitudine vicinitas est. Annulus præsertim aureus excedit omnia metalla, vt potè argentum plumbum: Fortitudo Sanctissimi THOMÆ Aquin. excellens, & excedens est omnes naturæ humanæ vires, quandoquidem omnia huius mūdi delectamēta, omnes machinationes, omnia tormenta in suum pectus retorta & directa, felicissimè superauerit, vicerit, prostrauerit: annulus ad manum semper vnicus est. Fortitudo Sanctissimi THOMÆ Aquin. aduersa præsertim sustinere, ardua & difficillima aggredi, semper eadem & vnica fuit: annulus circularis vel rotundus est: Fortitudo Sanctissimi THOMÆ Aquin. est interminabilis, dum eandem ad actum cuiuscunq; operis ad nobilissimam Figuram Sphæricam, nempè ipsum DEVM principio, & fine carentem deposuerit: annulus ad extremum nullus est, qui suam non habeat gemmam: Forti-

tudo

ſtudo Sanctiſsimi Thomæ Aquin. nulla eſt, quæ ſuam non habeat annexam fiduciam, patientiam, perſeuerantiam. Si itaq; volumus eſſe, & ipſi fortes in functione ſui muneris & officij, prout incipientes habeamus fiduciam, prout laborantes habeamus patientiam, prout perficientes habeamus perſeuerantiam, & ita facile. Fortitudinem Sanctiſsimi Thomæ Aquin. ſi non ſuperauerimus, profectò æmulabimur, imitabimur, amplectemur. Eia amica manus, quid tandem vlteriùs tanto in confluxu Virtutum Aquinaticarum das & porrigis nobis? ille qui ordine vltimus inuenitur digitus Auricularis eſt, quod vt plurimum aures ad audiendum excitet ac prouocet. Optarem AA. vt paulisper & huic digito ſuas accommodetis aures, haud enim poſtremam ſi non primam ad manum Sanctiſsimi virtutem demõſtrabit: at quænam eſt illa obedientia, quæ præſertim in Religioſis eſt propriæ voluntatis ſepulchrum, & gratius cunctis victimis holocauſtum: digniſsima ſanè virtus, quæ ad Manum Sanctiſsimi & Religioſiſsimi Thomæ Aquin. reſideat. Venerat aliquando, venerat Religioſus quidam eiuſdem familiæ Bononiam, vt ibi fortè quidpiam rerum neceſsariarum compararet. Aſceterium ergò adit, & ſocium itineris comitem in forum quærit, obuium habet Sanctiſsimum Doctorem nondum ſibi de facie notum, edicit vt mandato ſuperioris pareat ſibi permittentis, vt quemuis obuium fratrem in ſocium ſumeret, & ſe ſequeretur præeuntem, Viro Sãctiſsimo qui ſemper parere didicerat, res haud magna viſa fratrem iuniorem libentiſsimè ſequitur: ſed quid factũ in procinctũ itineris, anima ſanctiſsima quæ cæleſtibus ſemper intenta cogitationibus, corpus ſuum multoties deferebat, & tunc etiam pedibus officium præ debilitate negãtibus, deſiderio quidem obſequendi fratri, fratrem præcurrebat

bat

bat, ſed corpus non niſi ex interuallo ſequebatur. Frater pro-
inde, vbi ſanctiſsimum reſpexit, ignauiam dixit, quod ſumma
debilitas erat, inertiam appellauit, quod valetudinis affectæ
maximum fuit damnum: attamen ſilente ſanctiſsimo Doctore,
quaſi, ſi quis ſurdo conuitiaretur, vel littori loqueretur. Quæ
vox? quæ latera? quæ vires vnius demiſsionis commendationẽ
poſsint ſuſtinere? iam tunc aliquot Annos Bononiæ Doctor cla-
riſsimus, cum ingenti ſui nominis celebritate profeſsus fuerat
Diuinam ſapientiam; iam illam quæ de ipſius corde & ore pro-
cedebant, non tam dicta, ſcripta, quam ſancta miracula publi-
cauerat, iam tum omnium ſummorum venerationem college-
rat: iam cum clariſsimis famæ præconijs ad æternitatis ſudum
euolauerat: iam cum (vt clarius dicam) in animis, & pectoribus
omniũ re & nomine Sanctus habitauerat; & tamẽ ſic ſe deiecit,
vt vix imis par conſtiterit. Quare ergo ſic deiectus, ſic abiectus,
ſic reiectus apud ſe Sanctiſsimus manſit? in vitis PP. Abbas Ne-
ſtero, quo primùm die Religionem ingreſſus fuerat, ita apud
ſe ſtatuit: Ego & aſinus vnum ſumus. Reuocate ſi placet, quo ti-
tulo, quoue nomine accipiebant, & excipiebant Condiſcipulo-
rum cohortes Sanctiſsimum THOMAM: odioſum, & ſanè exo-
ſum bouis ab eis acceperat nomen: bos iumentum eſt, aſinus iu-
mentum eſt: ergo & noſter Sanctiſsimus vbi Religionem ingre-
di ſtatuerat aſsiduè loquebatur: Ego & bos vnum ſumus. Bos ſi
fuſtigetur, non prorumpit in contumelias, neq; etiã propterea
minùs laborat: Sanctiſsimus noſter quamuis à minimo ſociorũ
ſi fuerit euocatus ad laborandũ haud moleſtè tulit, imo linguam
voci, manus operi, itineri pedes, totumq; ſeipſum collegit, vt
imperantis colligat voluntatem. Bos quod animal ſit humile,
& contemptibile ab omnibus vilipenditur, & pauxillo ſtramine

ſuſten-

ſuſtentatur: Sanctiſsimus Noſter ad humillimum, & planè infimum obedientiæ gradum ſeſe deprimens, minimi officio ſerui fungitur, & non tam ſibi, quàm Chriſto cibus Amigdaleus, non tamen ſtramineus fiat: Bos nec vbicũq; voluerit vadit, nec quãdocunq; voluerit quieſcit, nec quid vult facit, ſed in omnibus, & per omnia Agaſoni obſequitur: Sanctiſsimus noſter ita voluntatis propriæ profundiſsimam abnegationem inſtituit, vt nec ad ipſum DEVM propitiùs accedere, nec hominem ſequi, nec rationem exequi duxerit, quin priùs Superior obtemperare iuſſerit: Bos ad extremum tantæ ſubmiſsionis eſt, vt nec comedit, nec quieſcit, ſed eius comeſtio & quies eò ſpectant, vt Domino ſuo magis ſubſeruiat: Sanctiſsimum Noſtrum ſiue comedere, ſiue dormire, ſiue recreari, ſiue quieſcere aliquando oportuit, ita ſe geſsit vt non magis DEO, quàm Religioni Sanctiſsimæ deſeruiret. Æmulamini æmulamini quotquot adeſtis Religioſorũ Chori, Obedientiam Sanctiſsimi THOMÆ Aquin. bouem ſimplicem, aſinum ſimplicem, columbam ſimplicem, non miluum, non accipitrem, non coruum deſerentem ſuum nidum refert: cuius profectò Obedientiæ, ſi veſtras iunxeritis manus, dubiò procul per omnia, & in omnibus Religioni veſtræ parebitis, nec vnquàm ſemel ſacroſanctè ſuſceptam, dimiſsam facietis. O Perauguſta ſplendidiſsima candidiſsima Diuinæ iſtius Manus Religio, aut aliquando veſtra manus lappas, & ſcelerum herbas procreauit: aut aliquando carduos & ſpinas germinauit, aut aliquando infelix lolium, & ſteriles criminum arenas multiplicauit? defuerant, defuerant hæc vitiorum fomenta, & ſementa ad Manum Sanctiſsimi THOMÆ Aquin. imò ſemper hæc Diuiniſsima Manus virtutum principia, virtutum incendia ampliſsima dedit, vt iam in veſtra ſanctiſsima Religi-

one

one tot purpureæ Martyrum enaſcantur roſæ, tot candidiſsima Virginum pullulant lilia, tot illuſtres Confeſſorum erumpant violæ, tot venerabiles Sanctorum promanant flores, quod cælum ſtellas, quot arbor folia, quot mare guttas numerauerit. Lætare igitur lætare Sanctiſsima Religio de tanto Filio, quæ ipſum genuiſti, & mihi de manu ipſius peroranti, ſi non oranti, (quia incultus, & propè nullus ſum Orator) indulgere velis: fateor equidem fateor quòd in præſentiarum minùs dignè tractaui Manum veſtram: ergo Frater meus, qui eſt Familiæ veſtræ deuotus, & nunc ad Manum Sanctiſsimi in Theologicis minimus Diſcipulus, meam compenſet paruitatem. Et quia hīc haud licet mihi Filio ſuo chariſsimam ſilentio præterire Matrem. Matrem ſcilicet illam, quæ totius ſeptemtrionis decus, bonarū artium & virtutum Magiſtra Regni, pubiſq; Polonæ Generalis Schola dicitur: en & hæc pleniſsima beneuolentiæ & amoris ſigna declarans & demonſtrans, Sāctiſsimæ veſtræ Religioni plùs quàm trecentis Annis hanc Sanctiſsimi adorat, veneratur, & colit Manum, & ita felix, imò feliciſsima hac protegente, & dirigente Manu conſummatos Theologos, Illuſtres Philoſophos, Oratores diſertiſsimos efficit, & efformat. habet quidem illa inde habet ſuos Cenſores, & Oſores, qui ipſius tantæ felicitati & virtuti inuideant: ſed quia bona eſt & optima Mater, proteruis & diſcolis parcit, ignoſcit, condeſcendit, vt aliquando reſipiſcant, & ſuum ſcire meram ſtultitiam, hoc autem vnum ſcire Aquinaticum, veram ſcientiam & prudentiam fuiſſe intelligant. Lætare igitur lætare & tu Alma & Celeberrima Mater, quòd non alium, quàm Angelicum Doctorem ad docendum, ad dicendum, ad dandum aſſumpſeris: candidam hic Manum gerit, quia totus candidus eſt. ergo prout cæpiſti hanc ipſius do-

Ætrinam candidè impertiaris, vt tandẽ poſt exantlatos & eneruatos labores & ſudores, ſtipata & ornata candidiſsimis cælitibus, vel ipſa candida ad æternitatis metam, cum tuis Filijs feliciſsime progrediaris. Sed ne iam & veſtra abuti videar patientiâ AA. Eia amica manus excuſsiſti, quinimo dediſti nobis præſtantiſsimas, ſelectiſsimas, florentiſsimas virtutes, quas vel ipſa Thomiſtica ſuppeditauit manus: cur igitur non ſectabimur ipſius Iuſtitiam, non mirabimur Prudentiam, non imitabimur Temperantiam, non præſtabimus Fortitudinem, non faciemus Obedientiam. Equidem hæc Manus Sanctiſsimi THOMÆ Aquin. vitæ noſtræ exemplar eſt, imo ſpeculum lucidiſsimum. Proinde oro, obteſtorq; vos AA. reliquos dies veſtros ſic capite vt harum allecti virtutum dulcedine, iuſtos vos prudentes, tẽperantes, fortes, obedientes Miniſtros DEI exhibeatis, dabit dabit vel hoc ipſũ quod certè maximũ eſt, Sãctiſsimi THOMÆ Aquin. Manus, vt ſi in hoc ſeculo nequam, aliquas contraxerimus maculas, ipſius meritis & interceſsione mundati, erecti tandem ad illam æternitatem, ad quam nunc tendimus, ſtabimus, ad quam nos vel ſua Manu ducat Ductor eximius, Doctor Angelicus, Patronus Sanctiſsimus, Confeſſor dulciſsimus, THOMAS Aquinas,

DIXI.

Cedat ad Laudem DEI O. M. *& Beatæ Virginis* MARIÆ *Honorem* *&* DIVI THOMÆ AQVINATIS *Gloriam.*